

## AUSONE

## LUDUS SEPTEM SAPIENTUM (231 vers)

## AUSONIUS CONSUL DREPANIO PROCONS. SALUTEM

LS\_1 v.1 Ignoscenda istaec an cognoscenda rearis,  
 2 adtento, Drepani, perlege iudicio.  
 3 Aequanimus fiam te iudice, sive legenda,  
 4 sive tegenda putes carmina, quae dedimus.  
 5 Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem :  
 6 proxima defensi cura pudoris erit.  
 7 Possum ego censuram lectoris ferre severi  
 8 et possum modica laude placere mihi.  
 9 Novit equus plausae sonitum cervicis amare,  
 10 novit et intrepidus verbera lenta pati.  
 11 Maeonio qualem cultum quaesivit Homero  
 12 censor Aristarchus normaue Zenodoti !  
 13 Pone obelos igitur, primorum stemmata vaturn :  
 14 palmas, non culpas esse putabo meas ;  
 15 et correcta magis quam condemnata vocabo,  
 16 adponet docti quae mihi lima viri.  
 17 Interea arbitrii subiturus pondera tanti  
 18 optabo, ut placeam : si minus, ut lateam.

## PROLOGUS

LS\_2 v.1 Septem sapientes, nomen quibus istud dedit  
 2 superior aetas nec secuta sustulit,  
 3 hodie in orchestram palliati prodeunt.  
 4 Quid erubescis tu, togate Romule,  
 5 scaenam quod introibunt tam clari viri ?  
 6 Nobis pudendum hoc, non et Atticis quoque ;  
 7 quibus theatrum curiae praebet vicem.  
 8 Nostris negotis sua loca sortito data ;  
 9 campus comitiis, ut conscriptis curia,  
 10 forum atque rostra separat jus civium.  
 11 Una est Athenis atque in omni Graecia  
 12 ad consulendum publici sedes loci,  
 13 quam in urbe nostra sero luxus condidit.  
 14 Aedilis olim scaenam tabulatam dabat  
 15 subito excitatam nulla mole saxeae.  
 16 Murena sic et Gallius : nota eloquar.  
 17 Postquam potentes nec verentes sumptuum  
 18 nomen perenne crediderunt, si semel  
 19 constructa moles saxeo fundamine  
 20 in omne tempus conderet ludis locum :  
 21 cuneata crevit haec theatri immanitas :  
 22 Pompeius hanc et Balbus et Caesar dedit  
 23 Octavianus, concertantes sumptibus.  
 24 Sed quid ego istaec ? Non hac de causa huc prodii,  
 25 ut expedirem, quis theatra, quis forum,

26 quis condidisset privas partes moenium :  
 27 set ut verendos disque laudatos viros  
 28 praegrederer ac peragerem quid vellent sibi.  
 29 Pronuntiare suas solent sententias,  
 30 quas quisque jam prudentium anteverterit.  
 31 Scitis profecto, quae sint : set si memoria  
 32 rebus vetustis claudit, veniet ludius  
 33 edissertator harum, quas teneo minus.

#### LUDIUS

LS\_3 v.1 Delphis Solonem scripse fama est Atticum  
 2 "gnothi seauton", quod Latinum est : "nosce te".  
 3 Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.  
 4 Spartane Chilon, sit tuum necne ambigunt,  
 5 quod introfertur : "hora telos Makrou Biou",  
 6 finem intueri longae vitae qui jubes.  
 7 Multi hoc Solonem dixere Croeso existimant.  
 8 Et Pittacum dixisse fama est Lesbium :  
 9 "gignoske Kairon". Tempus ut noris, jubet.  
 10 Set "Kairos" iste tempestivum tempus est.  
 11 Bias Prieneus dixit : "Hoi Pleistoi Kakoi",  
 12 quod est Latinum : plures hominum sunt mali ;  
 13 set imperitos scito, quos dixit malos.  
 14 "Melete to pan", Periandri id est Corinthii,  
 15 meditationem posse totum qui putat.  
 16 "Ariston metron" esse dixit Lindius  
 17 Cleobulus: hoc est, optimus cunctis modus.  
 18 Thales set "eggya, para de ata" protulit,  
 19 spondere qui nos, noxa quia praes est, vetat.  
 20 Hoc nos monere faeneratis non placet.  
 21 Dixi : recedam. Legifer venit Solon.

#### SOLON

LS\_4 v.1 De more Graeco prodego in scaenam Solon,  
 2 septem sapientum fama cui palmam dedit.  
 3 Set fama non est iudicii severitas ;  
 4 neque esse primum, verum me unum existimo,  
 5 aequalitas quod ordinem nescit pati.  
 6 Recte olim ineptum Delphicus iussit deus  
 7 quaerentem, quisnam primus sapientum foret,  
 8 ut in orbe tereti nominum sertum inderet,  
 9 ne primus esset, ne vel imus quispiam.  
 10 Eorum e medio prodego gyro Solon,  
 11 ut, quod dixisse Croeso regi existimor,  
 12 id omnis hominum secta sibi dictum putet.  
 13 Graece coactum est : "hora telos Makrou Biou",  
 14 quod longius fit, si Latine dixeris :  
 15 spectare vitae jubeo cunctos terminum.  
 16 Proinde miseros aut beatos dicere  
 17 evita, quod sunt semper ancipiti statu.  
 18 Id adeo sic est. Si queam, paucis loquar.  
 19 Rex an tyrannus Lydiae, Croesus, fuit  
 20 his in beatis, dives insanum in modum,  
 21 lateribus aureis templa qui divis dabat.

22 Is me evocavit. Venio dicto oboediens,  
 23 meliore ut uti rege possint Lydii.  
 24 Rogat, beatum prodam, si quem noverim.  
 25 Tellena dico, civem non ignobilem :  
 26 pro patria pugnans iste vitam objecerat.  
 27 Despexit, alium quaerit. Inveni Aglaum :  
 28 fines agelli proprii numquam excesserat.  
 29 At ille ridens : "Quo dein me ponis loco,  
 30 beatus orbe toto qui solus vocor ? "  
 31 "Spectandum" dico "terminum vitae prius ;  
 32 tum judicandum, si manet felicitas ".  
 33 Dictum moleste Croesus accepit. Ego  
 34 relinquo regem. Bellum ille in Persas parat.  
 35 Profectus, victus, vinctus, regi deditus.  
 36 Stat ille captans funeris jam instar sui,  
 37 qua flamma totum se per ambitum dabat  
 38 volvens in altum fumidos aestu globos.  
 39 Ac paene sero Croesus ingenti sono,  
 40 "O vere vates", inquit, "o Solon, Solon !"  
 41 Clamore magno ter Solonem nuncupat.  
 42 Qua voce Cyrus motus extinguere jubet  
 43 gyrum per omnem et destrui ardentem pyram ;  
 44 et commodum profusus imber nubibus  
 45 repressit ignem. Croesus ad regem ilico  
 46 per militarem ducitur lectam manum.  
 47 Interrogatur, quem Solonem diceret  
 48 et quam ciendi causam haberet nominis.  
 49 Seriem per omnem cuncta regi edisserit.  
 50 Miseratur ille vimque fortunae videns  
 51 laudat Solonem : Croesum inde in amicis habet  
 52 vinctumque pedicis aureis secum jubet  
 53 reliquum quod esset vitae, totum degere.  
 54 Ego duorum regum testimonio  
 55 laudatus et probatus ambobus fui.  
 56 Quodque uni dictum est, quisque sibi dictum putet.  
 57 Ego jam peregi, qua de causa huc prodii.  
 58 Venit ecce Chilon. Vos valetate et plaudite.

#### CHILON

LS\_5 v.1 Lumbi sedendo, oculi spectando dolent,  
 2 manendo Solonem, quoad ad se se recipiat.  
 3 Hui, quam pauca, di, locuntur Attici !  
 4 Unam trecentis versibus sententiam  
 5 tandem peregit meque respectans abit.  
 6 Spartanus ego sum Chilon, qui nunc prodeo.  
 7 Brevitate nota, qua Lacones utimur,  
 8 commendo nostrum "gnothi Seauton", nosce te,  
 9 quod in columna jam tenetur Delphica.  
 10 Labor molestus iste fructi est optimi,  
 11 quid ferre possis, quidve non dinoscere :  
 12 noctu diuque, quae geras, quae gesseris,  
 13 ad usque puncti tenuis instar quaerere.  
 14 Officia cuncta, pudor, honor, constantia  
 15 in hoc, et ulla spreta nobis gloria.  
 16 Dixi. Valetate memores. Plausum non moror.

## CLEOBULUS

LS\_6 v.1 Cleobulus ego sum, parvae civis insulae,  
 2 magna sed auctor, qua cluo, sententiae :  
 3 "ariston metron" quem dixisse existimant.  
 4 Interpretare tu, qui orchestrae proximus  
 5 gradibus propinquus in quatuordecim sedes :  
 6 "ariston metron" an sit "optimus modus",  
 7 dic ! Adnuisti ? Gratiam habeo. Persequar  
 8 per ordinem. Jam dixit ex isto loco  
 9 Afer poeta vester "ut ne quid nimis",  
 10 et noster quidam "meden agan". Huc pertinet  
 11 uterque sensus, Italus seu Dorius.  
 12 Fandi, tacendi, somni, vigiliae is modus,  
 13 beneficiorum, gratiarum, injuriae,  
 14 studii, laborum : vita in omni quidquid est,  
 15 istum requirit optimae pausae modum.  
 16 Dixi : recedam. Sit modus. Venit Thales.

## THALES

LS\_7 v.1 Milesius sum Thales, aquam qui principem  
 2 rebus creandis dixi, ut vates Pindarus,  
 3 [cuique olim jussu Apollinis tripodem aureum]  
 4 dedere piscatores extractum mari ;  
 5 namque hi jubente Delio me legerant,  
 6 quod ille munus hoc sapienti miserat.  
 7 Ego recusans non recepi et reddidi  
 8 ferendum ad alios, quos priores crederem.  
 9 Dein per omnes septem sapientes viros  
 10 missum ac remissum rursus ad me deferunt.  
 11 Ego receptum consecravi Apollini ;  
 12 Nam si sapientem deligi Phoebus jubet,  
 13 non hominem quemquam, set deum credi decet.  
 14 Is igitur ego sum. Causa set in scaenam fuit  
 15 mihi prodeundi, quae duobus ante me,  
 16 adsertor ut sententiae fierem meae.  
 17 Ea displicebit, non tamen prudentibus,  
 18 quos docuit usus et peritos reddidit :  
 19 En "eggya, para data," Graece dicimus ;  
 20 Latinum est : "sponde, noxa set praesto tibi".  
 21 Per mille possim currere exempla, ut probem  
 22 praedes vadesque paenitudinis reos.  
 23 Sed nolo nominatim quemquam dicere :  
 24 sibi quisque vestrum dicat et secum putet,  
 25 spondere quantis damno fuerit et malo.  
 26 Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.  
 27 Pars plaudite ergo, pars offensi explodite.

## BIAS

LS\_8 v.1 Bias Prieneus quod dixi "Hoi Pleistoi Kakoi",  
 2 Latine dictum suspicor : plures mali.  
 3 Dixisse nollem : veritas odium parit.  
 4 Malos sed imperitos dixi et barbaros,

5 qui jus et aequum et sacros mores neglegunt.  
 6 Nam populus iste, quo theatrum cingitur,  
 7 totus bonorum est. Hostium tellus habet,  
 8 dixisse quos me creditis, plures malos.  
 9 Sed nemo quisquam tam malus iudex fuat,  
 10 qui non bonorum partibus se copulet,  
 11 sive ille vere bonus est, seu dici studet.  
 12 Jam fugit illud nomen invisum mali.  
 13 Abeo. Valete et plaudite, plures boni.

## PITTACUS

LS\_9 v.1 Mytilena ego ortus Pittacus sum Lesbios,  
 2 "gignoske Kairon" qui docui sententiam.  
 3 Sed iste "Kairos", tempus ut noris, monet  
 4 et esse "Kairon", tempestivum quod vocant.  
 5 Romana sic et est vox : veni in tempore.  
 6 Vester quoque iste comicus Terentius  
 7 rerum omnium esse primum tempus autumat,  
 8 ad Antiphilam quom venerat servus Dromo  
 9 nullo inpeditam, temporis servans vicem.  
 10 Reputate cuncti, quotiens offensam incidat,  
 11 spectata cui non fuerit opportunitas.  
 12 Tempus me abire, molestus ne sim. Plaudite.

## PERIANDER

LS\_10 v.1 Ephyra creatus huc Periander prodeo,  
 2 "melete to pan" qui dixi et dictum jam probo,  
 3 meditationis esse, quod recte geras.  
 4 Is quippe solus rei gerendae est efficax,  
 5 meditatatur omne qui prius negotium.  
 6 Adversa rerum vel secunda praedicat  
 7 meditanda cunctis comicus Terentius.  
 8 Locare sedes, bellum gerere aut ponere,  
 9 magnas modicasque res, etiam parvas quoque  
 10 agere volentem semper meditari decet.  
 11 Nam signiores omnes in coeptis novis,  
 12 meditatio si rei gerendae defuit.  
 13 Nil est, quod ampliorem curam postulet,  
 14 quam cogitare, quid gerendum sit. Dehinc  
 15 incogitantes fors, non consilium regit.  
 16 Sed ego me ad partes jam recipio. Plaudite,  
 17 meditati ut vestram rem curetis publicam.